

sepulturæ traderentur; et si ipsa ecclesia processu temporis, aliquo casu rediviva calamitate, ad eam quæ prius erat decideret, eorum sicut prius erat potestati subjiciatur, nisi culpa vel studio ipsorum acciderit.

Ecclesia itaque meo sumptu et labore ad integrum restituta, cum diversis ædificiis ad necessitatem fratrum accommodatis, canonicos ibidem ad honorem et anniversarii mei commemoratione sanctæ Mariæ ad usum concedere canonicorum, quorum decimam huic ecclesiæ habendam, sicut olim de-

crevimus, modo quoque decernimus, quod de omnium bonorum meorum substantia indifferenter statuimus. Cujus constitutionis nostræ decretum ut ratum inviolatumque perpetuis valeat temporibus, nostræ auctoritatis scripto præsentî roboramus, sigillique nostri impressione consignamus.

Actum Remis, anno Incarnationis Dominicæ 1067, Indictione v, regnante Philippo rege anno vii, episcopatus mei anno xii.

Odalricus cancellarius scripsit atque subscripsit.

ANNO DOMINI MLXVII.

LEODEGARIUS

VIENNENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, vet. edit., tom. I, pag. 799.)

Leodegarius recensetur in diplomate Ermengardis, Rodulphi Burgundiæ regis conjugis, an. 1037, cum Pontio Valentino, Artaldo Gratianopolitano, et aliis episcopis. Vitam, mores, ortus et actus antecessorum archiepiscoporum opere exaravit, ut legitur in Chronico ms.; subscribit testamento Hugonis archiepiscopi Bizonticensis 1044, viii Kal. Aprilis; ad quem etiam Leo IX papa epistolam misit; defunctusque pridie Idus Junii. Ex quo apparet mendum eorum qui alterum cognominem Leodegarium superinducunt.

LEODEGARIJ CHARTÆ.

I.

Ecclesiam S. Ferreoli in plena synodo S. Victori concedit.

(Anno 1036.)

[MARTEN., *Ampliss. Collect.* I, 404.]

Cunctis liquido patet primum hominem a Deo conditum atque in paradiso positum, ut, si peccare nollet, necessitatem peccandi non haberet; quia vero invidia diaboli seductus est, atque in hæc ærumnosa a Deo projectus exsilia, omnes homines ex eo genitos natura postmodum æquales fecit; sed Deus, qui est summum bonum, ipse præscius futurorum, postmodum per multa annorum curricula hominem suum charum animal regere non destitit, imponens unum aliis, patriarchas primitus, et prophetas, ac deinde reges, ad extremum vero tempus sacerdotes. Hæc autem ideo facere voluit, ut, si quis ejus amore peccata nollet vitare, coæreret eum videlicet alterius timore. Sunt itaque multa quæ per Moysen præcepit, et quæ Aaron primo sacerdoti injunxit; ad ultimum vero B. Petro apostolo prin-

B cipi ligandi atque solvendi potestatem contulit, et ab eo usque ad nos, licet indignos, hanc potestatem permanere concessit. Quapropter ego Leodegarius, sanctæ matris Ecclesiæ Viennensis archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, exemplo et amore prædecessorum meorum tactus, cupiens ornare ecclesiam nostram, quæ quondam gloriosissime floruit, propono et desidero deservire beatissimo ac domno Ferreolo martyri, et civitatis nostræ tribuno, siquidem ecclesia ipsius vel cænobium, quod vocant Grinensium, quadragintorum simul in se habuit multitudinem monachorum. Nos verò quos ad hæc Deus infelicia perduxit tempora, si non ita, saltem quod possumus adimplemus. Reddimus ergo sibi, videlicet S. Ferreolo, ipsiusque quondam monasterio, ex hæreditate ipsius quidquid in nostro dominio tenebamus, ceu etiam ubicunque fuerit inventum aliquid ex ejus hæreditate, totum omnino reddimus, et eos qui tenent, si reddere voluerint, in hac elemosyna adjungimus. Sed et fidelis noster Bladinus quidquid de ejus hæreditate in beneficio

de nobis tenebat, totum reddit. Insuper et de suo a lode largitur. Hoc ergo per consilium fidelium nostrorum facimus, collaudantē omni clero et populo ecclesiæ nostræ, insuper et annuente Hermengarda inclyta regina regis Radulfi uxore, nunc vidua. Ponimus ergo in ipso loco Dei servos ex monasterio S. Victoris gloriosissimi martyris Massiliensis, ipsumque locum cum omnibus ad se pertinentibus eidem S. Victori perpetualiter damus, et viro venerabili domno Isarno abbati, per consilium et voluntatem domni abbatis Odilonis Cluniacensis, et omnium fratrum suæ congregationis. Facta donatio hæc elemosynaria anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1036, indictione iv, epacta i, anno viii imperatoris Romanorum Conradi. Obsecramus itaque ex auctoritate omnipotentis Dei, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra contradicimus, et excommunicamus, ut nullus successorum nostrorum ecclesiæ hujus nostræ pontificum, sive aliqua persona disrumpere vel inquietare ullo modo hanc elemosynariam donationem valeat vel audeat. Quod si fecerit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, et ab ecclesia Dei in die iudicii separatus, in inferno sepeliatur damnatus. Insuper et hæc nostra donatio firma ac stabilis permaneat cum stipulatione subnixâ.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii, domno archiepiscopo Leodegario dictante atque mandante scripsi, anno ordinationis ejus vi, iii Nonas Novembris, luna x, feria iv.

Acta publice in synodo Viennensi in præsentia domni Leodegarii archiepiscopi et canonicorum ipsius ecclesiæ multorumque fidelium abbatum, monachorum, aliorumque clericorum diversorum graduum fere quingentorum, omni affectu ea quæ hic habentur inserta acclamantium atque laudantium, simul etiam, si, quod absit! ulla unquam persona sæcularis aut ecclesiastica ullo modo inquietare voluerit hoc donum, invocatione divina et auctoritate omnium sanctorum ac virtutum cælestium eos excommunicantium atque anathematizantium, qui quolibet modo inquietare voluerint hoc donum ullo unquam tempore. Amen.

Ego Leodegarius archiepiscopus propria manu firmo. Signum Hartaldi præpositi. S. Burnonis laici D et Dei iudicio constat fuisse ex Sancti Ferreoli cænobii dominio, cum omni integritate eidem nunc restituo, cedo atque trado, et monachis Deo servientibus ibidem permanentibus, videlicet cum parochia, primitiis, cimiterio, insuper decimo omneque teloneum, corvadas, omne quoque servitium.... ipsam ecclesiã alteram super ripam Rhod-

(1) Insignis abbatia in urbe Viennensi, quæ tandem ad canonicos sæculares transiit.

(2) Pontius aut Romanensis aut S. Theuderii abbas exstitisse videtur.

(3) Dothmarus præfuit monasterio S. Andreae inferiori.

(4) Notandus hic locus de patre Leodegarii archiepiscopi, cujus nomen hactenus ignorabamus, ut et fratris ejus Willelmi, quos, cum ante Humber-

gistri schokæ. S. Nortaldi abbatis S. Petri (1). S. Pontii (2) abbatis. S. Dothmari abbatis (3) S. Willelmi (4) patris archiepiscopi. S. Willelmi filii ejus. S. Humberti comitis. S. Hectoris. S. Herberti et Artaldi fratris ejus. S. Herberti præpositi Diensis. S. Arnulfi. S. Adalardi abbatis (5) Lugdunensis. S. Hodrici (6) abbatis. S. Eugenii (7) abbatis. S. Ugonis canonici. S. Girardi levitæ. S. Girardi canonici. S. Milonis canonici. S. Adalardi canonici grammatici. S. Berlionis Panchi canonici. S. Blandini laici. S. Renconis l. S. Vidgerii canonici. S. Hugonis subdiaconi. S. Lamberti subdiaconi. S. Hotmaris subdiaconi. S. Rothbaldi subdiaconi.

II.

Charta Leodegarii archiepiscopi Viennensis ecclesiam Sancti Symphoriani cænobio Sancti Ferreoli donat.

(Anno 1057.)

[MARTEN, ubi supra, col. 404.]

... Dum Dei omnipotentis ordinatissima.... sanctorum canonum,.... quatenus res ecclesiasticæ a cujus.... ordinis personæ a quocunque acquisitæ, an nos quamvis possessæ.... utilitate quantumvis ædificiis, possessionibus ac substantiis, mox ab hæredibus ecclesiæ ad quam jure pertinent, justa ratione fuerint requisita, cum omnibus absque ulla reddantur contrarietate, nolentes vero reddere a sanctæ Dei ecclesiæ segregari debere societate. Ego Leodegarius sanctæ matris Ecclesiæ Viennensis Christianorum archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, notum esse volo nostræ ecclesiæ.... filiis præsentibus ac futuris, quia amore tactus divino, reædificandorum venerabilium locorum monasterium sancti Ferreoli... ex utraque parte Rodanis fluminis positorum desiderio, consentiente universo clero et populo, annuente venerabili abbate Isarno Dei servo, asciverim ex Massiliensi cænobio jam dictis locis ad servendum Deo, et quæcunque prædictorum locorum juris essent, omni voto ac desiderio decreverim ad posse me redditurum ab integro. Quapropter Sancti Symphoriani ecclesiam ad aquilonarem Viennæ urbis partem sitam, quam fidelium testimonio, auctoritate et Dei iudicio constat fuisse ex Sancti Ferreoli cænobii dominio, cum omni integritate eidem nunc restituo, cedo atque trado, et monachis Deo servientibus ibidem permanentibus, videlicet cum parochia, primitiis, cimiterio, insuper decimo omneque teloneum, corvadas, omne quoque servitium.... ipsam ecclesiã alteram super ripam Rhod-

tum comitem subscripserint, magnæ nobilitatis fuisse conjicimus.

(5) Vulgo Athanacensis monasterii, qui abbas desideratur in vulgatis indicibus valde imperfectus.

(6) Hodricus seu Udricus fuit abbas insule Barbaræ, vel Odericus abbas Jurensis S. Claudii.

(7) Hunc Eugenium suspicor fuisse abbatem Savigniensis S. Martini monasterii.

dani, sive ar..... optimusque constat, ad caput ipsius ecclesiæ situm, et cætera omnia quæcunque videntur ad eundem locum pertinere, cum campis, vineis, pratis, hortis, molendinis, arboribus pomiferis et imponiferis, aquis, aquisve decursibus, sicut sciuntur termini, et hic habentur scripti. Ab oriente terra S. (8) Mauricii terminos qui vocantur Suspulis, ab occidente terra regalis, a meridie terra S. Severi, ab aquilone terra de castello qui vocatur *Saxol*, et de villis *Masin* et *Macen*, parochiam et omnia quæ pertinent ad parochiam, cum omni decimo, primitiis ac cæmeterio. Insuper etiam reddo unum mansum qui vocatur Adamaredas super ecclesiam Sancti Desiderii situm cum campis, vineis, omnibus omnino rebus ad eundem mansum pertinentibus. Si quis ergo hanc donationem vel redditionem inquietare tentaverit, omnibus Dei maledictionibus subiaceat, cujuscunque fuerit personæ aut dignitatis, sitque extraneus a fidelium societate, hæc donatione inconversa perpetuo permanente. Facta donatio hæc anno Incarnationis Dominicæ 1057, indictione v, anno ix, imperatoris Romanorum Conradi.

Ego Nuspa monachus ad vicem domni cancellarii scripsi, domno Leodegario archiepiscopo mandante, anno ordinationis ejus vii, feria i stationis ad S. Ferreolum ante natale Domini.

Domnus Leodegarius archiepiscopus firmavit. S. Sarili decani. S. Artaldi præpositi. S. Nortaldi abbatibus. S. Petri. S. Synfredi archidiaconi. S. Arnadi archidiaconi. S. Herberti archidiaconi. S. Pontii canonici. S. Senioreti canonici. S. Geraldi diaconi. S. Bernardi diaconi. S. Ascarii levitæ. S. Ugonis canonici. S. Garnerii canonici magistri scholæ. S. Gerardi canonici. S. Girardi canonici. S. Adalardi canonici, grammatici. S. Giudgerii canonici. S. Renconis. S. Richardi canonici subdiaconi. S. Milonis canonici. S. Rothbaldi subdiaconi, et cæteri uno animo firmaverunt.

III.

De moneta Viennensi corrupta.
(Anno 1043.)

[Apud ACRERIUM, *Spicil.* vet. edit. t. XII, p. 284, ex chartulario Viennensi a D. d'Herouval concessio].

Notitia Viennensis monetæ, quæ facta est inter

(8) Id est ecclesiæ cathedralis quæ S. Mauricio sacra est.

A Leodegarium Viennensium archiepiscopum, et Adeleidam marchionissam cum filiis suis. Longa per tempora stetit ipsa moneta bona in pondere et mensura decena. Nuper autem tempore Odonis marchionis viri sui latrones et falsarii in burgo qui dicitur Aquabella, corruerunt eam et confunderunt et falsaverunt, ignorante supradicto marchione. Qui statim ut audivit clamorem supradicti archiepiscopi Viennensis, præcepit ne amplius fieret. Neque factum est eo vivente. Post mortem vero ejus insurrexerunt et alii latrones, et secuti sunt priores, et iterum falsaverunt eam, quousque prædictus archiepiscopus Leodegarius venit in Italiam ad prædictam marchionissam domnam Adeleidam. Quæ similiter ut audivit, ne amplius fieret præcepit. Tamen ut omnibus notum fiat, trapezita a domno Leone papa excommunicatus, paralyti percussus, membris omnibus dissolutus, impiam vitam digna morte finivit. Modo autem ignorante supradicta domina Adeleida marchionissa, alii exorti sunt, et prædicta mala sequuntur; sed mediante domno Adraldo Bremensium abbate, et Artaldo Ecclesiæ nostræ præposito, dimittuntur supradicta mala, et ne amplius fiant, promittit domina Adeleida marchionissa cum filiis suis Petro et Amedeo et Oddone, Deo et sancto Mauricio in manu Domni Leodegarii archiepiscopi Viennensis, ut in tota potestate sua Viennensis moneta amplius non falsetur, neque fiat, neque vero, neque falsa illa quæ in Vienna fuerit facta. Et hoc fecit pro amore Dei et sancti Mauricii cum sociis suis; de cujus beneficio honorata est, et pro anima senioris sui Oddonis marchionis et pro sua et filiorum suorum salute, qui hoc laudant et confirmant, videlicet Petrus primogenitus, et Amedeus et Oddo. Laudat hoc dominus Adraldus abbas Bremensis, et Artaldus præpositus Ecclesiæ Viennensis cum ceteris fidelibus suis, quorum ista sunt nomina.

Data per manus Bosonis ad vicem domni cancellarii et primiscrinii ii Kal. Decembris, luna xvi, feria iv, Heinrico secundo rege, nondum imperatore, Cæsaris et imperatoris filio, hujus domus marchionissæ genero. Recepta per manus domni archiepiscopi Leodegarii.

ANNO DOMINI MLXVIII.

STEPHANUS

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIE CARDINALIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud J. G. EGGS, *Purpura docta, seu Res gestæ S. R. E. cardinalium, desumpta ex Ciacon.o, Andrea Victorello, Augustino Oldoino, etc.*, 1, 15.)

St. phenus, natione Gallus, vir suo tempore litteratissimus, a S. Leone IX ad purpuram evehctus, inter